





Uemadmodum carnis resurrectionem pagani
dicunt, hanc resurrectionem, totum credunt & volunt
Christi: quod & gloriosissimum Christi resur-
rectionem, non potest
non in resurrectione esse de deo. Nam

DISSERTATIUNCULA

de eo,

**NUMQVOD SIBYLLÆ TRADI-
DERINT DE CHRISTI RESUR-
RECTIONE?**

ubi & de IPSIS SIBYLLIS per *παρέκβασις*, ex occasione, agitur.

quâ

ILLUSTRISSIMUM COMITEM AC DOMINUM

**DOMINUM HEINRICUM
UNDECIMUM,**

**JUNIORIS LINEÆ RUTHENUM, COMI-
TEM AC DOMINUM A PLAVIA, ETC.**

Nec non

PLURIMUM VENERABILES

DNN. INSPECTORES,

TOTAMQVE ERUDITORUM, QVÆ

**GERAM ORNAT, SPLENDIDISSIMAM
CORONAM,**

M. JOHANNES FRIDERICUS Köber/

Illustris Ruthenei Rector,

ad Gratiôsè ac Benevolè auscultandam

JO. GEORGII FENDII, SCHLEIZENSIS

Valedictoriam,

Submissè, perquam officiosè, & humanissimè

INVITAT.

GERÆ, Literis Müllerianis.

68





Uemadmodum carnis resurrectionem pagani rident, hæretici impugnant, soli credunt & sperant Christiani: parili modo & gloriosissima Christi resurrectionem nostræ unicum fundamentum, non potest non malè consultis illis ludibrio esse ac deridiculo. Nam pro latrone ac parricida captum ac prehensum esse Christum, ad tribunal violenter raptum, cæsum colaphis, illusum fannis tædatum sputis impurissimis, quin & in crucem actum, nec uno suffixum in mortem vulnere; & Turci norunt cum Judæis, & cæci gentiles plaudunt; eundem verò Hospitorem nostrum, effractis sepulchri repagulis, mortis vi repressâ, inferni faucibus obturatis, diaboli fraudibus elusis, rediisse in vitam propriâ virtute, & sic piato omnium scelere, aperuisse & emuniisse viam, quâ, qui amplexi ipsius disciplinas bona sunt fide, ruptis sepulchri vinculis & evolent ipsi in cælum, quò præcessit: Id verò sudes est in oculis omnium, qui à religione Christiana alieni sunt. Contraversum facilè hoc admittit omne, qui seridè credit in eum, qui resurrectionem carnis sancivit primus & dedicavit. Hac quippe fini resurrexit è morte Christus, ut & nos resurgamus aliquando, & per eundem salvi æternam fiamus & beati. Quare contemtu generoso pendimus vili omnes strophas ac technas, quibus eludere, aut certè suspectam reddere studuit pessimus Alastor sive nostram sive Christi ipsius resurrectionem. Confixit(a) enim, quâ est πολυπραγμοσύνη nefandâ, jam per idola, jam per magos, jam per Poëtas quorundam resurrectiones; sed nullo propè negotio deinde apparuit, illos, qui mortui putabantur, vel morbo tantum aliquo confopitos jacuisse, vel, qui existimabantur revixisse, revera tantum visos suscitari, oculis adstantium magica arte præstrictis, vel integram totius rei narrationem fuisse fabulosam. Verùm quidquid rugiat leo infernalis, quidquid fallaciarum nectant vulpes astutissimæ; nos piè credimus ac certi omninò sumus, Christum resurrexisse tertia die è mortuis. Id quod an τοῖς ἔξωθεν innotuerit olim, anquisitum est alio tempore: nunc animo sedet dispicere, an idem in Sibyllarum forte notitiam pervenerit? Prodeat ergò ex Phœbadibus Cumana, quæ, si credimus Boiflaro (b) resurrectionem Christi his prædixit verbis:

ἤξει δ' εἰς Αἴδην ἀγγέλων ἐλπίδα πᾶσι,
καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἡμᾶρ ὑπνώσας.
καὶ τότε διπὸ Φημένων ἀναλύσας εἰς Φάϛ ἤξει,
πρῶτ' ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

De.

Devenietq₃, bonam spem portans omnibus, orcam,
Et tridui somno peraget mortalia fata.

Tum demum linquet Manes, lucemq₃ revifet,
Prima resurgendi Lectis vestigia monstrans.

Eadem tribuit (c) idem Phrygiæ, nisi quod insuper hæc addit, quibus, quod Soter optimus appariturus sit discipulis suis redivivus, vaticinata dicitur; ita verò habent:

πρῶτα δὲ τοῖς ἰδίοις Φανερός τότε κύριος ἔσαι
σάρκινος, ὡς παρ' ἡν, χερσὶν τε ποσὶν ἴ' ἐπιδείξει
τέσσαρα τοῖς ἰδίοις ἴχνη πηχθέντα μέλεσιν.

Porro suis primùm Dominus patefiet, eritq₃
Corporeus, sicut fuit antè, manusq₃ pedesq₃
ostendetq₃ impressa suis vestigia membris
quatnor.

Priora, quæ adduximus, etiam extant apud Lactantium, cui insignis sua facundia Ciceronis Christiani nomen fecit: qui tamen indefinite Sibyllæ, nullo addito cognomento, tribuit. Lubet hoc loco paulisper orationi laxare frena, ac de Sibyllis, quidquid notatu dignum videbitur, pubique studiosæ commodum, exponere breviter, ut, quid de illarum oraculis habendum sit ac statuendum, cuius constet & in apri- cum producat. Extitisse autem hujus notæ mulieres quondam, ἰδιογνώμων sit & malè sanus, non modò ignarus; qui omninò eat inficias. Nubem testium, fide dignissimorum, ciere possem ingentem, si opus foret. Mentionem Sibyllarum injiciunt, Plato, (d) Aristoteles, (e) Diodorus Siculus, (f) Strabo, (g) Plutarchus, (h) Ælianus, Paulanias, (i) & Græcorum alii. Ex Latinis scriptoribus, & vetustioribus quidem, (nam recentiorum quid attinet testimonia afferre?) Cicero, (k) Virgilius, (l) Ovidius, (m) Livius, (n) Tacitus, (o) Plinius, (p) hujusque epitomator Solinus, (q) & Juvenalis (r) denique Sibyllas commemorant. Inter columina & lumina Ecclesiæ huc pertinent Arnobius (s) Lactantius, (t) Ambrosius, (u) Hieronymus, (x) Augustinus, (y) & alii. Inprimis autem ex Lactantio, qui plurimum tribuit Sibyllis, hanc in rem multa adducunt Theologi recentiores, & admittunt adeò, fuisse fatidicas hujusmodi Vates. Ideoque, re ipsa extra omnem dubii aleam positâ, concludimus verbis Opsopæi (z) fuisse fœminas fatidicas, quas Chaldei Sambethas, Græci & Latini, Æolico more, Sibyllas appellârunt, adeò certum est, ut nullus in dubium vocare possit aut debeat. Quot autem numero fuerint? altera quæstio est,

quæ præteriri nequaquam hoc loco debet. Decem numerat Varro, (aa) cumque ipso Lactantius, (bb) nempe Persicam, Libycam, Delphicam, Cumæam, Erythræam, Samiam, Cumanam, Hellepontiacam, Phrygiam, Tiburtem. *Harum omnium Sibyllarum carmina* (ait Lactantius) *feruntur & habentur, præterquam Cumæa, cujus libri à Romanis occultantur, nec eos ab nullo, nisi à quindecim viris, inspicere fas est.* Sed de hac quoque Cumæa non levem inter Autores esse pugnam & incertitudinem: ex Onuphrii Panvini libro de Sibyllis, & carminibus Sibyllarum, constat; qui si lubet, consuli potest. (cc) De cætero decem istis septem alias accenset, Jo. Ludov. Vives, (dd) nempe Colophoniam, Elissam, Cassandram, Epiroticam, Thessalicam Manto, Carmentem Evandri matrem, Faunamq; tandem, Fauni regis sororem juxta & conjugem. Quibus si addamus, cum laudato Onuphrio, (ee) Delboram Ebræam, Mirjam sororem Mosis & Huldam: numerus emerget viginti Sibyllarum. Et quantò major ille exsurget, si, quidquid mulierum vaticinantium uspiam occurrit, huic cohorti aggregari velimus? Nam & Hildegardis, Angela Virga, Mechtildis & Brigitta illis accensendæ forent. Etenim vaticinia illarum non pauca extant. (ff) Nec defuere quondam Germanis nostris, cum adhuc tenebris immergi ethnicis essent: unde magni admodum ab ipsis habitæ fuerunt. (gg) Et fanè verendum esset, ne innumerabilis turba nasceretur, si recensere omnes vellemus, quæ hoc nomine essent maclandæ. Namque ut rectè Joh. Min-ellus (hh) observat, *omnes femine vates Sibyllæ sunt à veteribus appellatæ, à consiliis Deorum denunciandis. Σιδε enim Deos vocant Αολες, non Θεες, & consilium non βελην sed βυλην appellant.* A numero Sibyllarum transimus ad ætatem, quâ vixisse dicuntur. Sed & hæc quæ certitudo dicam an incertitudo? Quod si Justino Martyri, Tatiano, Clementi Alexandrino, Euf-bio, aliis credendum est, nulla Sibyllarum Mose prior fuit. Et tamen vaticinantur de Mose, (ii) prædicunt diluvium; una etiam cum Noë in arca fuit. (kk) Quin Sibyllæ plus si credimus, (ll) quàm Patribus antè dictis, oracula hæc conscripta sunt mille quingentis annis post primordia Græcorum imperii. Cujus incunabula sive in Sicyoniorum sive Argivorum, sive Atheniensium regno quærantur: in aprico erit, Sibyllas Mose, legislatore divino & proto-historico multò posteriores esse. Unde non est, quod quis objiciat, ista, quæ de diluvio ac Mose vaticinatae sint, prophetarum more dicta esse, qui interesse iis rebus se dicunt, de quibus scribunt. *Etsi enim non ignoramus, Prophetis hoc usu receptum esse:*

le:

se: nisi tamen idem de Sibyllis accuratè demonstraretur, non est, cui
 ideò tantam antiquitatem illis tribuamus. Hoc nimirum est τὸ αἰτεῖ-
 σθαι ἢ λαμβάνειν τὸ ἐν ἀρχῇ, ut magnus Stagiræ alumnus vocat; quò
 nihil probari potest. Aut igitur istis rebus gestis priores fuerunt, aut
 posteriores. Si hoc, non fuerunt vates, quia recensuerunt gesta; quod
 Historici est: sin illud, vates quidem forent, sed non nisi cum condi-
 tione hac, si ostendi revera posset, ipsas vel Mose antiquiores, vel di-
 luvio fuisse. Si enim diluvio duntaxat interfuissent, id non faceret ipsas
 prophetissas; perinde ut nemo vatem ideò perhibet esse Noachum, pa-
 rentem humani generis, ut ita dicam, δευτέρῳ πρωτον, quia tempestatis
 tam diuturnæ sævitiam, auxiliante Deo, pertulit & superavit. Unde
 parum abest, quin celeberrimi Lambecii sententiam faciamus nostram,
 qui ait: (mm) rudis omnino & absq̃ naso sit necesse est, qui persuaderi si-
 bi partiatur, antiquiorem Moysè ullam unquam Sibyllam extitisse. Videat
 ergò, quomodo suam διαφυλάττειν possit ἑῶν Georg. Hornius, qui
 non erubuit (pp) Sibyllas, propter antiquitatem, ad tempora Noachī
 referre. Melius certè facturus fuisset, si ignorantiam, quam fatetur, se
 modestè excusasset: cum præstet nescire, aut inscitiam profiteri, quam
 temerè in partem alterutram pronunciare. Sed &, quamdiu & ad
 quod usque tempus vaticinia perseveraverint Sibyllæ, non imme-
 ritò quaeritur? Ultra Commodum Imperatorem Rom. ea se non ex-
 tendere, vel inde colligitur cum Opsopœo, optimo harum rerum ar-
 bitro, quia post Adrianum tres Cæsares (id est, Antoninum Pium, An-
 toninum Philosophum & Commodum) regnatos, & tunc tempora
 finem habitura, scribunt. (qq) Vixisse circa illud ævum Sibyllam, non
 dixerim; quamvis, qui hæc, ipsarum latitans sub nomine, finxerit, non
 abnuerim tunc vixisse. Certè, quod Opsopœus docet, (rr) circa An-
 tonini Pii & Commodi tempora, in vulgus efferrī, & à scriptoribus ejus
 ætatis citari ceperunt ista vaticinia Sibyllina, antea ignota, nec ab ullo,
 quem sciam, adducta. Cum quò facit Theologus quondam apud Ra-
 tispontes πολυμαθῆσαι, J.H. Urfinus, quando ita (ss) post Adria-
 num Imp. ultimamque Judaicæ Synagoga dispersionem, quæ gentibus in
 salutem cessit, & Sibyllina pleraque & Hermetica, & Zoroastræa conficta
 sunt oracula. Sed de Sibyllinis libris alio tempore, ἐὰν ἑλήσῃ ὁ
 κρείττων, dicemus: nunc de dono vaticinandi lubet inquirere, unde
 illud Sibyllis venerit? An fors à temperie naturali, φυσικῇ κρείττων
 five humore Melancholico? Sic fieri posse Sibyllas & Bacchas & vates
 sceminas, non improbabiliter judicavit Aristoteles. (tt) Quem verò

in hanc sententiam credit Vossius (uu) prolapsum, quòd ex naturæ
principiis cognosci nequeat, esse dæmones. Sed quamvis non parum
imputemus isti intemperiei μελαγχολικῆ: inde tamen quis eliciat,
Sibyllis naturali instinctu & vi innotuisse, quæ de rebus divinis, my-
steriis etiam maximis, dicuntur prædixisse? Ex causis suis & signis
multa conjiciunt prudentes; quæ quodammodo divinatio quædam
est: (xx) sed illa vel in civilibus rebus vel naturalibus duntaxat lo-
cum habet, non in merè divinis, & quæ citra revelationem omninò la-
tent. Itaque uti in istis concedere Sibyllis divinationem quandam,
possumus: ita in his planè penitus negamus. Num autem virginitati
Sibyllarum hoc donum tribuere par est? Ita facere videmus & sentire
B. Hieronymum, Patrum facilè doctissimum, qui ob virginitatis me-
ritum insigne Sibyllis scribit (yy) divinationem fuisse concessam. Ve-
rùm non dicam, nimis favisse sanctissimum Stridonensem virginitati,
ne quidem sine suspicione ac calumnia: (zz) id certum est, nec omnes
Sibyllas extra matrimonium vixisse, nec castitatem servasse illibatam.
Sanè si quædam, nempe Erythræa, Noë nurus fuit, ut ipsa liberè fate-
tur; (aaa) maritata fuit & viro juncta, & ipsi quidem Iapeto, quod sta-
tor literarum optimus, Græcarum præcipuè, B. Erasmus Schmidius
putat, (bbb) Id quod quâ ratione conciliari cum Eusebii sententia
queat, qui expressè Erythræam isthanc virginem vocat, (ccc) equidem
me ignorare fateor. Et proh egregiam virginitatem, scilicet! Quæ
secundum & septimum oraculorum sibi librum adscribit, adeò pudor-
em decoxisse fatetur, (ddd) ut cum patre suo incestum commiserit:
quale pecus ne quidem ethnici inter Sibyllas castas ac DEO plenas
agnoscerent. Sed cùm nulla hîc vis virginitatis locum habeat; num for-
tean sua oracula hauserunt ex fontibus Israëlis? Hos enim delibare in-
tegrum ipsis fuit, si cum populo Dei conversati sunt. Videtur id asse-
rere M. Zuerius Boxhornius in Historiâ Universali, quam vocat. (eee)
Ita enim denique concludit: *Habuerunt igitur à Judæis Sibyllæ, quæ de
Christo edixisse dicuntur.* In quo pollicem premit Boisfardo, qui tradit:
(ffi) *cùm ethnica essent mulieres & idolis servirent, earum tamen aliquæ
communicaverunt cum Ebræis tam in Ægypto, quàm in Palestina & ex
lectione sacrarum literarum, familiaribusque colloquiis cum Israëlitis, toto
orbe dispersis, multa didicerant, quæ ad vaticinia pertinebant.* Quod
uti non negaverim planè; ita concedere nequaquam licet, salvâ divina
veritate, omnia ex hoc fonte dimanasse, quæ hodie in oraculis Sibylla-
rum occurrunt, ea præcipuè, quæ de Christo ejusque vita, miraculis,

mor-

morte & resurrectione tam clarè copioseque ibi occurrunt, ut veteri
fœderi palmam perspicuitatis vel eripiant, vel dubiam tamen reddant.
Num ergò Spiritui Sancto donum isthoc propheticum imputemus?
Ita credere videtur Nicephorus, (ggg) qui id potestati divinæ tribuit,
quod, *ad futurarum rerum certiores consensum, non solum per peculia-
res ministros futura predicat, verum sensim quoque advenis & alienis ad-
idutatur: perinde atq; musicus quispiam, supervacaneas quoque percur-
rit pleetro chordas, aut ornatus gratiâ, supra eas, quæ ex usu sunt, alias etiã
adjicit.* Sed enim, quæ Deus potest, an ea quoque vult & facit? & an
musici instar supervacanea, & nulli usui futura, tractat? Conditor an-
nualium famigeratissimus *consilium Dei fuisse putat, (hhh) ut longe ante
Christi adventum, tantæ rei sacramentum Judæis atque Gentilibus inno-
tesceret, illis quidem multifariam, -- -- hos verò per suos ipsorum vates,
de his, quæ ventura erant, voluit præmoneri.* Inter quos & Sibyllas recen-
set, quas appellare Patres consueverint *Prophetissas Gentilium; quibus &
tantum tribuit Heraclitus, ut eas non humanitùs, sed divinitùs apparuisse
putârit.* At enim verò, quid hac re statuendum sit, eruditissimè docet
Jo. Casaubonus (iii) quem consulere operæ sanè pretium est. Malumus
quoque singularia isthæc, & perspicua maximè de divinis rebus oracu-
la, abjudicare Sibyllis, quàm cum Lud. Coqueo (kkk) dicere, Sibyllas
eadem minimè intellexisse, & velut arreptitias locutas fuisse. Non enim,
opinor, sapientia tanta in animum, veri DEI ignarum, illabi potest. Vi-
deat ergò, cui persuadeat Boisardus, (lll) *Spiritum S. nonnunquam fu-
isse locutum per Phæbadas & Sibyllas.* Nobis certe non persuadebit, ne si
persuaserit quidem. Restat igitur, cum Tobia Wagnero, Theologo Tu-
bingensi doctissimo, (mmm) hariolemur; si quæ sunt, quæ de futuro
olim mundi statu, quibusdam forte etiam ad Messiam pertinentibus,
prædixerunt Sibyllæ, ea ex ἀρχαιοία sagacissima Diaboli & inspiratio-
ne ortum traxisse: quamquam traditionem, à Judæis acceptam, non
planè excludamus. Illa verò, quæ de Christo manifestissima sunt, nec,
nisi ex historiâ Evangelistarum hauriri potuerunt, meritò suspecta ha-
bemus, & piâ quadam fraude conficta: de quo alibi commodior dicēdi
locus erit. Nunc ad VALE nobis DICTURUM denique properamus.
Est is JO. GEORGIUS Senda / SCHLEIZA. VARI-CUS, Adolefcens sanè
optimus. Qui ex quo nomen apud nos professus est (factum id recor-
damur mense Martio Anno M. DC. LXXVII.) ita pietatem nobis suam
probitatem & industriam probavit usque, ut meritò magnorum & præ-
stantium Virorum favore & benignitate dignum judicemus; præcipue
cum

cūm & modestiā morum placere nobis, sedulò studuerit haecenus. Specimina suæ eruditionis sæpenumero cūm publicè tum & privatim edidit, in linguis cardinalib9, in palæstrā etiam disputatoriā. Ut adeò non indignum Eundem censeamus, qui cūm pio paternoque voto, à nobis, ad studia Academica, dimittatur. Cras, DEO clementer annuente, ultimā vice conscendet nostram cathedram, ac, postquam, temporis ratione habitā, *de triumpho Servatoris resurgentis*, habuerit orationem gratulatoriam, ad Ecclesiam directam, variis carminum idiomatibus gratias, quibus se debere non ignorat, nuncupabit. Quod acroama ut **ILLUSTRISSIM9 COMES AC DOMINUS DN. HEINRICUS XI,** gratiosè, **PLURIMUM VENERANDI DNN. EPHORI, ALIIVQVE ERUDITI, REIQVE SCHOLASTICÆ FAUTORES,** benevolè frequentare velint; submissè pariter & officiosè admodum rogamus: id daturi operam sedulò, ne ingratae mentis stigma nobis inuramus. *Λόγον προφητικόν* carminicè habebit **NOBILISSIMUS ADOLESCENS ERNESTUS HEINRICUS A Lucowien / EQVES MISNICUS.** P. P. Geræ d. V. MAJI. A. O. R. c1o 1oc LXXX.

NOTÆ.

(a) vid. opus Marianum Martini Delrio, p. m. 711. (b) tract. post. de Divin. f. 234. (c) p. 270. (d) in Phædro. cit. Boiss. f. 196. (e) l. de mirab. auscult. f. m. 707. D. (f) l. 4. ubi & ait, τὸ ἐν θεάσει κτ' γλώσσαν ὑπάρχου σιβυλλαίνου, plenam Deo & Sibyllam esse, idem notare. Onuph. Panvin. Veronenf. l. de Sib. & carm. Sibyll. ex ed. Opsop. p. 55. (g) l. 14. ubi Erythraea dicitur ἐνθ' ἑξέ μαντικῆ γυνή. (h) lib. cur Pythia & c. (i) var. hist. l. XII. 35. (k) in Phocicis. (l) de divin. l. 1. & 2. lib. 4. in Verr. (m) l. 3. & 6. Æn. (n) l. 14. Metam. (o) l. 1. dec. 1. (p) l. 4. Ann. (q) N. H. l. 7. c. 33. (r) c. 8. (s) sat. 3. & 8. (t) adv. gent. l. 1. p. m. 38. (u) l. 1. de fals. relig. c. 6. l. de irac. 22. (x) comment. in epist. 1. ad Corinth. c. 2. (y) adv. Jov. l. 1. (z) l. 18. de C. D. c. 23. & alibi. (aa) præfat. ad Lect. init. (bb) apud Lud. Viv. in comm. Aug. p. 613. (cc) l. c. p. 10. (dd) p. 35. sqq. ex edit. Opsopæi. (ee) l. c. p. 614. (ff) l. c. (gg) v. Wolff. lect. mem. t. 1. f. 397. 401. 670. 745. (hh) v. Voss. de Idol. III. 17. p. 807. & Sched. de DI. Germ. II. 43. (ii) in Carm. sec. Hor. p. 451. ed. Rappolti. Add. Isid. l. 38. orig. c. 8. (kk) vid. l. 3. p. 236. oracul. Sib. Opsop. (ll) ib. p. 183. (mm) vid. p. 261. (nn) de Soph. Elench. c. 28. (oo) prod. Hist. lit. l. 1. c. 4. f. 15. (pp) Hist. Philos. l. 2. c. 1. p. m. 66. (qq) lib. 5. p. 304. & l. 8. p. 367. (rr) præf. ad Lect. (ss) de Zoroastre p. 64. (tt) problem. sect. 3. probl. 1. f. 471. (uu) de art. poet. nat. & const. p. 70. citante B. Rappolto in Hor. p. 1180. (xx) Sic Nepos in vita Attic. (yy) l. 1. contra Jovin. (zz) ita sentit Erasm. in c. 1. Tit. cit. B. Gerh. in Patrol. p. 324. (aaa) l. 3. orac. Sib. p. 282. (bbb) orat. 3. de Sibyll. annexa notis in N. T. (ccc) l. 5. de vita Constantini f. 227. ex interp. Musc. (ddd) v. verba p. 360. ap. Opsop. & ap. Wagn. de orac. Sibyll. annot. p. 87. (eee) p. 24. 25. 26. (fff) de Divin. c. 2. f. 4. (ggg) Hist. Eccles. l. 8. c. 29. f. m. 401. (hhh) in Apparatu n. XVIII. f. 9. (iii) exercit. 1. ad Appar. p. 66. sqq. (kkk) v. in Aug. de C. D. p. 619. (lll) in epist. dedicat. (mmm) annot. ad orat. de orac. Sibyll. p. 53. 54.



Ti 780

ULB Halle 3
002 500 698



Sb.

VDA 7

n. C.





16

ritis, dec
bitandum
quam fol
que vitam
omnibus
exemplu
ue malit
nec

publicis sacris: du
ris huius historiae,
itudinem, omnem
ri, vobisque & aliis
re. Quod salubre
, siue ignauiam, si
urare vitam solent,
itate. P. P. in
lartii

